



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

De amore Iesu super omnia. 7

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

Homo considerat actus , Deus vero  
pensat intentiones . Benè semper age-  
re , & modicum de se tenere , humilis  
anima*े* indicium est . Nolle consolari ab  
aliqua creatura , magnæ puritatis , &  
internæ fiduciæ , signum est .

**4** Qui nullum extrinsecus pro se  
testimonium quærit , liquet quod tota-  
**2. Cor.** liter se Deo commisit . Non enim , qui  
**10.** seipsum commendat , ille probatus est  
( ait B. Paulus ) sed quem Deus com-  
mendat . Ambulare cum Deo intus ,  
nec aliqua affectione teneri foris , status  
est interni hominis .

## C A P . VII.

*De amore I E S V super omnia .*

**Pf. 118. 1** **B**EATVS , qui intelligit , quid sit  
amare Iesum : & contemnere se-  
**Deut. 6.** ipsum , propter Iesum . Oportet dile-  
**Mat. 22** ctum pro dilecto relinquere , quia Iesus  
vult solus super omnia amari . Dilectio  
creaturæ fallax & instabilis : dilectio  
Iesu , fidelis & perseverabilis . Qui  
adhæret creaturæ , cadet cum labili :  
qui amplectitur Iesum , firmabitur in  
œcum . Illum dilige , & amicum tibi re-  
tine : qui omnibus recedentibus , te  
non

non relinquet, nec patietur in fine perire . Ab omnibus oportet te aliquando separari , siue velis, siue nolis.

2 Teneas te apud Iesum , viuens & moriens : & illius fidelitati te committe , qui omnibus deficientibus , solus potest te iuuare . Dilectus tuus talis est naturæ , vt alienum non velit admittere : sed solus vult cor tuum habere , & tamquam rex in proprio throno sedere . Si scires te bene ab omni creatura euacuare, Iesus deberet libenter tecum habitare . Penè totum perditum inuenies, quidquid extra Iesum, in hominibus posueris . Non confidas, nec innitaris super calatum ventosum : quia omnis caro fœnum , & omnis gloria *Esa. 40.*  
eius, vt flos fœni cadet.

3 Citò decipieris, si ad externā hominum apparentiam , tantum aspexeris . Si enim tuum in aliis quæris solatium & lucrum, senties saepius detrimētum . Si quæris in omnibus Iesum, inuenies utique Iesum . Si autem quæris te ipsum , inuenies etiam te ipsum , sed ad tuam perniciem . Plus enim homo nocuior sibi, si Iesum non quærit , quam totus mūdus , & omnes sui aduersarij.

C A P.